





576.
76
1747/1-
SPECIMEN INAUGURALE MEDICO-POLITICUM,
DE

**CRIMINE STELLIO-
NATUS MEDICI,**

**Von verstellten und versteckten Betrüglichkeiten
in der Medicin;**

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
MODERATORE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE, DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE.

GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLVII. D. XI. SEPT.

Publicæ Disquisitioni subiectæ

JOHANNES ANDREAS BODENBURG,
HETTSTADIO-MANSFELDENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

VIRO
PERILLUSTRI, GENEROSISSIMO, AC EXCEL:
LENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO ABRAHAMO
DE HOPFFGARTEN,

POTENTISSIMI POLONIARUM REGIS, ET SERENIS-
SIMI SAXONIÆ ELECTORIS PRÆFECTUI CAMERÆ ET
GUBERNATORI COMITATUS MANSFELDENSIS, NEC
NON CONSILIARIO AULICO ET JUDICIALIS
COLLEGII, UT ET CANONICO,

DOMINO HÆREDITARIO IN MÜLLERSTÆT, MECH-
TERSTÆT, ZIMMERN ET HEYNACK,

MAGNO MÆCENATI,
DOMINO PATRONO SUO
GRATIOSO

AD URNAS DEVOTO PECTORE
DEVENERANDO,

UT ET
VIRO
ILLUSTRI, GENEROSISSIMO DOMINO,
DOMINO
ANTONIO GOTTLIEB
CHRISTOPHORO
DE HARDENBERG,

DOMINO HÆREDITARIO IN HARDENBERG, GEIS-
MAR, LINDAU, MOCKRITZ, GOESNITZ ET DOESCHITZ,
NEC NON DOMINO HÆREDITARIO ET DYNASTÆ AC
POSSESSORI QUÆSTORII WIDERSTADII SUPERIORIS
IN COMITATU MANSFELDENSIS SITALI,

EXIMIO MÆCENATI,
DOMINO AC PATRONO SUO
GRATIOSO

AD CINERES USQUE COLENDO,

DISSERTATIONEM HANCCE INAUGURALEM

SACRAM ESSE VOLUIT

IOHANN ANDREAS BODENBURG.



PROOEMIUM.

Regula Juris 121. est: *Qui non facit, quod facere debet, videtur facere aduersus ea, quia non facit: Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere iussus est: hæc sententia merito ad medicos referri debet, qui probitate, honestate, integritate, conscientia, fide, dexteritate, prudentia, officiositate, scientia & peritia instructi, se suamque artem commendare possunt; quibus ea propter, quippe viris in arte peritis, credendum, ne suspicio aut contumelia in illos cadat; ideo ingenue facere debent, quæ proximi commodum & salubritatem promovere possunt: interea non negandum est, quod partim in arte, sicut omnibus reliquis scientiis, disciplinis, artibus, inventionibus & experimentis humanis contingit, partim in artifice variæ dubitationes, imperfectiones, æquivocationes, aut plane aberrationes reperiantur; quæ*

A 2 deinde

deinde levia ingenia ad varias machinationes, technas, deceptiones, fraudes & malitiosas tentationes & operationes seducere possunt. Imprimis in medicis valde improbatum & taxatur ignorantia, imperitia, audacia, negligentia, malitia, inconstantia, fraudulentia, auaritia, inuidia, fallacia, nequitia, trepidatio horumque vitiatorum varia alia specimina. Sic peculiari studio P. ZACCHIAS in *Qu. Med. Leg. Lib. 6. tit. 1.* Medicorum errores indicat & redarguit: inter alia autem *qu. 1. n. 5. sq.* differit: *potest medicus, quicumque is sit, aut minister medicorum, ut quilibet alius homo, aut omittendo, aut committendo errare; omittendo peccat, qui non facit ea, quæ facere debet; committendo, qui facit ea, quæ facere non debet; sed tam omittendo, quam committendo triplici ratione medicum errare contingit, dolo nempe vel malitia, ignorantia & negligentia; in omnibus enim his culpa interuenit, culpa vero sociam habet poenam: Interim variæ dantur occasiones, quibus medici errores & fraudes committere & argutum atque sciolum animum patefacere possunt; nec solum illi, qui indigne, immerito & abusive medicorum assumunt, tales fraudes & deceptiones committere solent, ut medicastri, circulatorum, quos Periodeutas quondam appellauerant, teste HOFFMANNO in *Lexico tit. Charlattani*, de quibus refert: *Charlattani & Saltimbanci dicuntur hodie Medicorum circulatorum id genus, quos Græci periodeutas appellabant: est medicus huiusmodi circumforaneus ac circulator s. periodeuta: quo pertinet BOHNII testimonium de Off. Med.**

*Med. dupl. P. 1. cap. 3. p. 31. sq. scaturit ejusmodi Medicastro-
rorum turba sub Ciarlatanorum s. Charlatanorum,
i. e. Erronum, Circumforaneorum, Agyrtarum, Em-
piricorum &c. nomine, non Italia tantum, quæ ideo
Provincia s. Patria Ciarlatanorum audit, sed Anglia
etiam Belgium, Gallia &c. - - - de Germania nostra
haud inique vulgari proverbio asseritur, plus esse me-
dicastro-
rum in hac, quam Muscarum sit in Armenia;
seu prout non nemo scriptorum ait, Copia passim Me-
dicorum (Medicastro-
rum) Germania ita fere obrui-
tur, ut vel Medico opus sit, qui a Medicis illam pur-
get; sed subinde etiam in foro honesto & legitimo
interdum fallaciæ, imposturæ, deceptiones & dolosæ
machinationes & malitiosæ inventiones, in damnum
proximi cedentes, exercentur, quæ honestam & ho-
norabilem artem medicam contumeliosa labe tur-
pius ignominia adficiunt, & maculant; de quibus Ro-
der. Castellanus in spec. vit. hum. Lib. 2. conqueritur:
vidi heri aromatarios, hodie medicos, heri barbarum
rasores, hodie morborum censors, heri herbas cetera-
que materialia in apothecis corradentes, hodie in aulis
& scholis morbos judicantes, heri cinifiones, morta-
rios & pistillarios, hodie chymiatros, sed thrasones
magnificos, fungum pro cerebro, fumum pro luce
venditantes. Si nunc factiones, cohortes, turbas,
ordines & sectas medicorum colligimus, velut A-
strologus, qui XII. zodiaci signa in singula hominis
membra distribuerunt, variis siderum aspectibus
certum influxum, vim, efficaciam & directorium in
corpore humano adscribunt; jatro mathematicos, Calen-*

Calendariographos, Jatroliptas, Chirugos, Chymicos, Cosmetas, Diffectores, Botanicos, Theoreticos, Practicos, Clinicos, Dogmaticos, Methodicos, Magicos, Musicos, Stationales, Ocularios, auricularios, dentarios, vulnerarios &c. colligimus, quales partim *Mercurialis var. lect. Lib. 2. cap. 8.* DORINGIUS *de Medicina & Medicis Lib. 1. part. 1.* MOEBLIUS *instit. med. Lib. 1. c. 1. fund. physiol. c. 1.* NEANDER *de Medic. Natalib.* BRODÆUS *Miscell. L. X. cap. 10.* Prosp. ALPINUS *L. 1. de Medic. ægypt. cap. 1.* multique alii: recensent, quot non inventiones, strategemata & iniquæ occurrant technæ: si porro tales scabiosos & excrementitios deceptores medicastroso consideramus & dijudicamus, quos *Job. OBERNDORFFER in veri & falsi medici agnitione part. 22. & 23.* ita describit, quod sint plerumque sordida & abjecta sæx plebeculæ, quique negata professione alieno malo, clanculario modo artem medicam confuse condiscunt, & si eos in lucem proferimus, detracta larva appareant Judæi scelerati, Christianorum sicarii & expilatores, Monachi, suæ professionis desertores, sacrificuli perjurii, parochi ἐδωπεγαµόνις, pastores Φίλατοι, Chemicii indocti, Juris apostatæ, pædagogi δολέστοφοι, inepti & vulgares pharmacorum confectores & seplasiarii, cataplastica Esculapii deliri & lucrifugæ, Mechanici pigri, inhonesti histriones, ardeliones, circulatorios, tonsores inepti, aliptæ, fetidi, balneatores curiosi, impostores circumforanei, milites triarii, mercatores obarrati, aratores segnes, pugiles monoculi aut claudi, vetulæ edentulæ & blatterantes, aniculæ cothomizantes
vel

*vel clinicae, obstetrices largiloquae, nutriculae diabolares carnifices, canicidae, bipedum nequissimi, venefici, incantatores, augures, harioli, chiromantici, Magi, Sortilegi aliaque detestandorum & malitiosorum hominum uadeguata: Eheu quam egregium collegium, & coetus ac concilium impostorum, de quibus variantes mali doli lectiones, collectiones & machinationes observari & expectari possunt. Nec dubitandum, sed magis in aprico est, quod ejusmodi famosi medicastrum atque gerrones magnam imposturam fraudemque committant, sed in reliquo medico foro, usu & officio aliquando malitiosae, subdolae, fraudulentae & sophisticae machinationes perficiantur: propterea PLINIUS in medicos graviter in-
 vectus, licet illius vicissim prodigiosa commenta RE-
 JES. in *Camp. Elys. qu. 1.* taxaverit: nec ex nominis honestate ars medica solum suam integritatem & dexteritatem probare potest, ni actiones respondeant suis titulis: quo valet arguta & seriosa exclamatio modo allegati REJESII *qu. 6. n. 4. 5.* o tempora, o mores! prodeunt quotidie non solum execrandae empiricorum sectae, subreptitii ac supposititii nebulones; sed bullati Doctores ad praemia & honores evecti, & in nescio quibus academiis velut extemplo Doctoratus gradum consequuntur, peractis caerimoniis, non examinatis studiis, cathedram adscendunt & cuncta jam ex alto despicientes, confusum quidpiam murmurant; tinnunt interim campanae, strepunt tubae, volant chirothecae & nescio quae insignia humeris & capiti imprimuntur; hymno dicto descendit sapiens, qui stultus*

tus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec O-
vidio cognita: tumet ille statim, stupet vulgus, plau-
dant affines, qui nil aliud, quam asinum, quem addu-
xerunt, deportant, Cumano illo indoctiorem, qui char-
tas vix involuere novit; quem tandem si in medicis
consulas, reperies hunc tot Decipe dare, quot Recipe,
mortemque verius accire posse, quam valetudinem.
 Nec indocti, indigni & imperiti saltim in foro Medi-
 co specimina ignorantia, imperitia & fraudulentia
 edunt, sed quandoque sub reliqua sciola, ingenio-
 sa, callida & perita larva saltus in reliquo Medico-
 rum choro & foro committitur, qui dum contra
 honestatem, aequitatem & justitiam pugnat merito
Criminis nota indicandus & improbandus est. Et
 sane Augia Stabulum repurgandum esset, si tot do-
 losae machinationis inventiones atque species inda-
 gari & exterminari deberent: tantum autem boni
 & sinceri viri officium est, ut quae artem dehone-
 stant, indicet & declinet, id quod bona conscientia
 sine bile & livore fieri potest. Excitavit igitur mihi
 animus, suadente Dn. Decano, ut honesto ac mode-
 sto affectu & respectu perniciosas & contumeliosas
 istiusmodi technas fraudulentas in thesi, sine ullius
 injuriosa offensione, significem, siquidem alias in vi-
 rum bonum non cadit injuria; quam ob rem non in
 concreto, sed abstracto hoc inaugurali Specimine de
CRIMINE STELLIONATUS MEDICI disse-
 ram: ad quod institutum mihi caeleste exoro auxili-
 um, quo praesens tractatio artis foteria honestatem,
 aequitatem ac integritatem promoveat.

§. I.

§. I.

Quamvis *Stellionatus* vox non notio *technica* in *schola Medica* sit, tamen illius significatus ita *generalis* est, ut ad *quaslibet* scientias, facultates, ordines, artes, opificia & actiones hominum referri & applicari valeat; denotat igitur titulum, quo *speciales dolose actiones* referri possunt: sic inter multos **TABOR** in *Racem. Extraord. ubi de Crimine Stellionatus tractat th. 1. differit: quemadmodum veteres ob magnam ut rerum, sic & verborum paupertatem, & quia natura ita conditum est, ut plura sint negotia, quam vocabula, sæpe generale aliquod nomen supponere coacti sunt: - tametsi plerisque delictis certa indita esset appellatio, eo tamen nequitia ingenii humani & impostorum arte veteratoria procedente, ut omnibus eorum technis designandis verba non sufficerent, etiam hic de generali aliquo vocabulo cogitandum fuit - - doli itaque vocabulum satis laxum - - commodissimum visum nomen *Stellionatus*. **Communi suffragio Dd.** hanc vocem derivant a *Stellione*, certa specie *lacertæ* aut *serpentis*, aut *aranei*, *tarantulis* similis, in tergo maculis quasi *stellatis* *versicoloribus* notati, quo nullum animal homini *fraudentius* esse perhibetur, a quo nomen translatum ad *varii oris pectorisque homines imposturis & subdolis artibus aliis insidiantes*, inquit idem **TABOR** *§. 2. conf. MENOCH. de A. F. Q. Cas. 131. n. 1. §q.* aut **STRYK** in *Uf. Mod. Pand. L. 47. tit. 20. §. 1.* ita hoc nomen in hominem *maleficum ac decipiendi peritum translatum*: hinc **CARPZOV.** in *Crimin. P. 3. qu. 133. n. 2. 3.* asserit: cum fieri non possit, ut *singulorum maleficiorum species singule recitentur*, quare generali quodam *Stellionatus* notan-*

B

tur:

tur: nam ubicunque titulus criminis deficit, Stellionatus
persecutio locum obtinet: & porro MATTHÆI de Crimin.
ubi L. 17. dig. tit. 13. c. 1. ubi de Stellionatu agit, ait: accu-
santur Stellionatus, qui improbius fraudavere, si crimen
aliud non sit, quod objiciatur. Addimus definitionem
Stellionatus a SIMONE in Præsidio academ. P. 2. disp. 1. th.
8. §. 1. p. 21. prolata: Stellionatus est delictum, quo quæ-
vis fallacia, impostura atque simulatio, & quicquid turpi-
ter fit, in fraudem alterius, modo proprii Criminis nomen
non obtineat, comprehenditur: ideo in titulo ejusdem th.
Stellionatum vocat factum illicitum extraordinarium, lo-
cum obtinens, quoties speciale Criminis nomen deficit.
Haud quidem nostram facimus decisionem differentie an
factum Stellionatus Crimen, an delictum, an maleficium,
idque vel priuatum, vel publicum appellari debeat; suffe-
cerit illud generi fraudis ac doli adscribere, quod alterius
damnum destinato consilio causatur, sicut in genere quili-
bet dolus malus a factis honestis, justis & æquis alienus est:
Stellionatus autem crimine dolus malus committitur, qui
a Rod. a CASTRO in Medico-Politico L. 3. c. 9. p. 144. ita de-
scribitur: quod sit machinatio quædam alterius decipiendi
causa, cum aliud agitur, aliud simulatur, & comprehendit
omnem calliditatem ac fallaciam ad circumveniendum ful-
lendum ac decipiendum alterum adhibitam: quare etiam
appellatur Stellionatus TABOR loc. c. §. 5. quod sit crimen
extraordinarium, generale & in subsidium quoties speciale
alterius fraudandi causa machinantur; ubicunque igitur
deficit titulus criminis, nominatus vel innominatus & ta-
men aliquid dolo factum est, illi crimen stellionatus objici-
mus.

mus dicit BOSSIUS *tr. Crim. tit. de Crim. Stell. n. 1.* Utut autem hæc vox *Falsis* imprimis usitata est, cujus significatus dein ob inexplicabilem fraudulentæ *varietatem* multiplices *species, modos & exempla* allegare sciunt & solent, propterea ramen *non omnes* modi, qui in *aliis* actionibus humanis contingunt nominati, multo minus exclusi sunt, hinc in *variis foris* talis *multiplex* dolus committitur, qui omni cura abrogandus est: & quoniam in *Medico* foro etiam *tales* fraudulentæ machinationes occurrunt, ideo *Stellionatum* medicum voco *dolosam actionem sub medicæ tractatione & cura sanitatis corporis contingentem, vario modo callida inventionem in damnum alterius directam, quæ variis inventionibus, fictionibus, simulationibus, persuasionibus, consiliis & fucatis mediis committitur, quæ subinde in artis contumeliam ac turpitudinem, nec non proximi multifarium damnum cedit.* Quoniam autem medico cura sanitatis demandata est, in qua varia *cognoscenda, & sec. rationis cynosuram atque normam in usum trahenda* sunt, ideo in *utroque* officio tam *Scientiæ, quam experientie* consulto & scienter ad alium *decipiendum & circumveniendum* iniqua & malitiosa *fraus* perpetrari potest & solet, quæ in *specie* sua *Stellionatus* Crimini adscribi meretur.

§. II.

Specimina igitur *Stellionatus Medici* varia dantur, quorum *quædam* in ordine nunc recensenda erunt: hujus igitur Criminis accusandi sunt, qui multa & impudenti *audacia & arrogantia* artem *medicam* exercere non verentur, qui ramen magna *ignorantia, aut insufficienti* cognitione in hoc foro arguendi, quos saltim *honorabilis* titulus medici

dici non aliter ornat, quam asinum pellis leonina, de quibus b. *Abaso*. FRITSCHIUS in *Medico peccante Conclus. 1. pag. 8.* ita differit: *Medicos ubique fere se hodie profitentur, qui ne hilum vel pilum boni eruditi que Medici possident, stentorei scil. Circulatores, Crumenimulgæ, agyrtæ, chirurgi, Fatidici, Ciromantes, Empirici, Clysteriferi, p̄armacopai, Receptarii, Sacrilegæ, anus, Sortilegæ, Lamia, Præstigiatores, Magi, Mercatores depauperati, Pastores superstitiosi, aeditui maleferiati, apellæ Judæi, prodigiosi Paracelsistæ, furiosi Cabalistæ, & ut compendio dicam, nullum fere hominum genus est, quod non alat rivalitatem cum Medicis. Quibuscunque igitur nomen & titulus Medici Doctoris, tanquam externus ornatus confertur, ea tamen exceptione & conditione, ne intra decretum temporis terminum artem medicam exerceant, interea in usu artis sufficientem capacitatem acquirant, hoc autem non obstante frivoli tales & audaces homines fidem datam non servant, sed furtivas & corrasas suas formulas temere sine discrimine & judicio cum damno, aut fortuito ac æquivoco effectu velerudinariorum usurpant, illi Stellionatum committunt: tales igitur sunt illius furfuris stipites, qui sicut Thesalus ille Galenicus desertis propriis opificiis, aut opifices proprio magisterio relicto, medicæ artis opera insiliunt, & impudenter ac audacter in aliorum viscera grassantur, insuperque impune occidunt, inde velut fungi oriuntur, medici Sartores, Sutores, tentores, seriniarii, pistillarii, seplasiarii, parabolani, cinifiones, destillatores aliaque monstra, portenta & spectra Medici privilegiati titulo tumida & larvata, quæ uno collyrio cognito, omnes oculos curare volunt, aut sec. LIBAVIUM in præf. ad Neo Paracelsicam*

scam qui tales medicos exprimit, qui vix in transcurso
 lympham gustarunt pœoniam & lutum figulinum subtiliter
 paulo eluere possunt, e vestigio Medici sunt, & terras sigillis
 premunt, & uno remedio omnes sanant morbos, quasi uno
 calopodio cothurnoque adversus qualibet mala omnem mu-
 nituri pedem & eadem fidelia omnem inducturi incrustatu-
 rique parietem; qui usitatis moribus, consuetudinibus &
 formulis quoslibet morbos profligare posse, sibi aliisque
 persuadent, eaque propter facile contumelioso notantur
 & diffamantur cognomine, referente & reprehendente
 HARVEO, qui in Saryrica arte curandi morbos per expecta-
 tionem c. 2. certam classem ac Societatem istiusmodi Me-
 dicorum commemorat, quando illi qui nimis frequenter
 ordinant medicamenta mineralia, martialia, lac asininum,
 cort. chinæ, aquas minerales, missiones sanguinis, purgan-
 tia &c. vocantur ærario-ferrei, chalybeati, afinarii, Jesui-
 tici, aquarii, sanguinarii, laniones, stercorarii &c. vel qua-
 les alios in scenam producit Gerardus GORIS in Medicina
 contempta Mysteriarchos, Uroscopos, Personatos, Sciolos,
 antiquarios, nugatores, ebriosos, aur quos hodie ventilo-
 quos, fumivendaces, vermicularios, bullularios &c. elemen-
 tarios, arcanistas, secretarios, panacearios, cabalisticos, al-
 gebraicos &c. similesque æruginosos & farciminarios
 nuncupat: conf. LENTILIUS in Fatromn. med. P. 2. c. 15.
 p. 463. Tales igitur Stelliones, qui titulo suo medico &
 limitata concessione temere abutuntur, in animadversio-
 nem & pœnam Stellionatus incidunt, quoniam in Scien-
 tia & Conscientia convicti sunt, quod sufficienti cognitio-
 ne & peritia careant, ac cœcæ fortunæ effectum propina-
 torum remediorum relinquunt; ipso facto autem ægrum,



qui sanitatem *expectat*, decipiunt, imprimis si talis prom-
ptæ audaciæ homo aliquando nec morbi cujusdam *speci-*
em, nec ejus *causam* cognoscit, interea quid pro quo or-
dinat, sec. illud NEVIZANI in *sylo. nupt. L. 4. n. 177.* ubi
imperitus medicus alicui præscripsit: Rec. *Nescio quid,*
& sanabitur, nescio quando: quo illud valet *Sap. XIII,*
18. 19. pro valetudine imbecillum invocat, pro vita mortu-
um interpellat, pro auxilio ei, quo nihil est magis mutilum:
talis igitur *indignus & imperfectus* medicus in *malo dolo*
versatur ac inique ad illud non tam Brocardicum, quam
injustum proverbium provocat & confugit, mundus vult
decipi, ergo decipiatur.

§. III.

Ad Societatem *Stellionum* referendi illi porro sunt,
qui *veritates* medicas quoad *Scientiam* ignorant, earum-
que loco varia *figmenta* excogitant, ac talia insomnia &
funum pro *ingenua* & certa veritate venditant, sibi soli
sapiunt, ideoque alia ingenia *decipiunt* & circumducunt,
imo ita captant, præoccupant & seducunt, ut talibus
commentis fidem tribuentes, non nisi magnos & pernicio-
sos errores in *applicatione* committant, juxta illud: qui
male cognoscit male curat: & tales histriones, præstigia-
tores, funambuli medici, dum aliis varia lepida obganni-
unt & nugantur, facile aures aliorum titillant fricantque
atque agyrtarum more credulorum marsupia mulgent ac
depauperant; tales præsentant personam medicaſtri
theatralis, aut nundinatoris, qui infrunita garrulitate in-
nocentes alliciunt & corrumpunt, qui sero denique sa-
pientes, ingenue tandem confitentur, se deceptos & se-
ductos fuisse: de quibus illud REJESII *Camp. Elys. juc.*
qu. 6.

qu. 6. n. 2. valet: fuit in omni ævo impostorum fraus & dolosa industria, ut quæ in artis usu propter ruditatem & inscitiam deficiunt, nec consequi valent, vafricie suppleant, & ut Galenus scribit, quo amabiles populo babeantur & se dignos esse persuadeant, pretioso vestitu (sæpe adh. abærato) annulorum apparatu & argentea suppellectile (aut signo cerræ cujusdam, vel quasi venerabilis, societatis) ornati magno subsequentiū numero stipati solum (animo aut corpore) ægris adulari satagunt: quibus saltim deest baculus, aut typha & cuculio morionis & animal imprimis exoticum s. simia s. mus alpinus, s. melis, s. asinus sylvestris &c. & tales impostores sub larua honestorum medicorum sciola & garrula sua persuasione facile alios dolose corrumpunt; proinde nugas suas, promissiones, artificia, inventa, experimenta, commenta, circulos & bona opera schedis rejiculis, circumforaneorum more phaleratis & ventosis verbis, sub comitatu proprii fordidi elogii novellis publicis inferere faciunt. Huic Stellionum choro annumerandi sunt fastuosi medici, qui alto supercilio a tergo alios adspiciunt, nihilque rectum esse putant, quod non ipsorum vel quasi oraculis & mysteriis convenit, de quibus HIPPOCR. de fract. t. 1. inquit: qui sapientes sibi videntur medici, hi sunt, qui peccant, haud attendentes, quod pone ostium quandoque bonus dormitet Homerus: illi enim qui aliorum vires & facultates contumeliose æstimant, seque aliis eruditionis ostentatione præferunt, alios vicissim fraudulenter circumveniunt, ideoque in peculiari & personali dolo versantur & operantur, vnde multis diversâ accidunt damna; dum quilibet justus, prudens & honestus medicus bonas suas facultates atque vires, non circumforaneorum eloquentia

&

& garrulitate, sed ipso actu comprobatur, tales sunt, qui sibi arroganter ea bona, quæ non habent, qui alios contemnunt & volunt, ut sibi submittantur, quamvis eam præcedant, qui vana gloria luxuriant, quod vitium medicis familiare est, dum inordinato gloriæ appetitu laborant, quem subinde concomitatur magnum symptomatum vel potius vitiorum agmen, jactantia, hypocrisis, novitatum inventio: non minus etiam peccat, qui novas inutiles artes invenire præsumit, quam qui novas epulas, novas vestes & novos ludos: quibus plerumque accedit curiositas, qua nimis, vel immoderate scire contendunt, præsertim si cognitionem rerum professioni suæ necessariam negligunt, quo non necessariam cognoscant, dicente Roder. CASTR. in Med. Polit. L. 3. c. 2. p. 15. u6. tales præstigiatores confuse & temere varia elegantia & in suo foro utilia experimenta physica, chymica, mechanica, anatomica ad liberum naturalem ordinem crinibus attrahunt & insulse ac inepte applicant: eosque, qui ejusmodi commentis, figmentis & gerris assensum denegant, ignominia prosequuntur: hi propterea alios dolose decipiunt, qui illorum ampullas & sesquipedalia verba pro oculis habent; hi sunt, qui blaterant nunquam visa, nunquam experta, seu qualia nunquam præstiterunt, ac præstabant, nunquam ejusmodi magnidici, monente BOHNIO in Off. Med. dupl. P. 1. c. 4. p. 82. Præterea Societatem Stellionum ingrediuntur illi, qui in reddendis morborum causis confusa & ventrosa loquacitate ægrotantes decipiunt, vel vanum metum illis incutiendo, vel damnosam securitatem alliciendo, vel confidentiam immeritam depeculando, interea suam fallaciam ludunt & fingunt, sic spieles
ihren

ihren Betrug unter den Hütlein, *conf. B. STAHLII Programma, quis bonus theoreticus, malus Practicus.*

§. IV.

Sicut HARVEUS in Satyra sua *artis sanandi expectatione* varias *dolosas* inventiones & operationes in foro medico obvias, indicat, nominat & taxat, ita omnes honesti, *aqui*, periti & prudentes medici machinationes tales improbant; ideo RIEDLINUS *Lin. Med. An. 2. Sept. p. 420.* observationem 3. de dolo ad euebendum medicum *minime laudando* hoc epiphonemate obfignat: *ab hisce & ejusmodi dolis desistite quæso mortales; quæ enim benedictio speranda, ubi dolo res agitur.* Ad *dolosas* medicorum actiones P. ZACCHIAS in *Qu. Med. Leg. L. 6. tit. 1. qu. 2. n. 14. sq.* varias species allegat, quæ magis ignorantie & audacie adscribi debent, v. g. si medicus minus *secura* remedia ordinar, dum *tutiora* adhibere debet: si *ægro minus congrua* medicamina præscribit: si *generosa* propinat medicamenta, non *preparato* prius corpore: si medicus *movet*, quæ *movere non debet.* Rectius *Stellionatus* Crimini adscribi debet, si Medicus *lucris causa* plura promittit, quam *status morbi* permittit, aut ipse *prestare* potest: *conf. ZACCHIAS l. c. qu. 3. n. 7.* quo dolo decipit *ægrum*, aliosque, qui de illius *sanitate* solliciti sunt; & si rei *eventus contrariatur* promissis, tunc alias *fortuitas* causas fingit & accusat, ideoque *variis modis* fraudem & fallaciam committit, quales ausus LANGIUS *L. 3. ep. 6.* imposturas vocat, de quibus BOHNIUS *l. c. p. 49.* dicit: *quod fraudulentiam potius, quam prudentiam sapiant, & popularis tantum auræ aucupio inbient - - tales artes seu tricas, famam & argentum sibi comparandi, de-*

C

testan-

testantur viri honesti ac ingenui; illi hujus furfuris focii sunt, qui aliquid machinantur, quod ipsi ignorant, & ignorare se cognoscunt & tamen ut aliquid lucri faciant & pecunias a credulis extorqueant, velut nomen sibi apud eos acquirant, promittunt, quod præstare non possunt, nec ab operando desistunt, referente ZACCHIA l. c. qu. 1. n. 24. Pertinent huc illi gloriosi, qui in variis morbis arduis, horumque cura suis viribus, ac qualitibus arrogant tribuuntque, quæ naturæ debentur, vid. THONERUS L. 1. obs. 19. p. 35. & hi in malo versantur, quando hujus fraudis ignaros ea persuasione decipiunt & seducunt, quasi præcellens magnisque elogiis ac muneribus æstimanda sit alterius capacitas & peritia, cum tamen in multis subiectis divina bonitate & providentia connatum sit exquisitum spontaneum internum robur resistendi morbis, & conservandi sanitatem, vid. D. D. PRÆSIDIS disp. de Medico in nobis: ideo CAMERARIUS in Syllog. Memor. Cent. 1. part. 43. inquit: nihil Medicus solus potest, natura est illa, imo Deus qui agit, & Medicus, minister magni hujus Domini: præclare itaque a Vido Vidio dictum: medici plures sanarent, si se naturæ ministros esse agnoscerent: EMAN. STUPANUS comm. in apb. Hippocr. p. 19. HOFFMANUS in meth. med. qu. 19. p. 36. WEDELIUS Cent. 1. dec. 5. exerc. 9. 10. REJES. Camp. Elyf. juc. qu. 19. n. 7. Sapienter dictum: sanitatis auctor Deus, Dei instrumentum natura, utriusque minister medicus est. ZAC. LUSITAN. Med. Princ. Hist. L. 1. bist. 64. in comm. p. m. u4. a LINDEN in Select. med. VII. f. 17. p. 188. inquit: Medico laboranti, natura allaborat & benedicit labori Deus, largitor Artis & auctor naturæ. Huc porro spectant illi, qui morbum in-

dole

dole sua lenem, levem & benignum aggravant, ægro aliisque sollicitudinem & angorem incutiunt, eoque inducunt, ut magnam mercedem promittant, si æger sanatur & conservatur, hinc utroque modo dolose peccant, si statum gravem & periculosum parvi pendunt, & levem magnificiunt: hinc Rod. a CASTRO Med. polit. Lib. 3. c. 9. p. 145. 46. inquit: in prognostica magna cautione semper opus est, ne aut nimium blandiendo, mitiorem, quam revera sit, morbum jactantes, eo graviore reddito, in ignominia labem incurramus: aut nimium severe agendo, inanam metum ægro incutiamus: idem testatur HIPPOCR. Lib. 1. de Morbis & CELSUS L. 6. c. 16. qui judicat: histrionis est, parvam rem attollere, quo plus præstitisse videatur: Et acerbus ac invectivus medicorum censor & mastix MIMERMUS de medicis asserit, quod mala, quæ sunt exigua, majora quam sunt, soliti sint extollere, ut sibi & auctoritatem & in curandis morbis industriæ famam comparent, conf. BOHNIVS loc. cit. p. 52. REJES. Camp. Elys. juc. qu. XI. n. 1. Ad eandem classẽ referendi sunt, qui celerem curam aut infallibilem sanationem temere promittunt, quando nec morbi genius, nec tempus, nec signa indubitatam sanationem & conservationem sperare permittunt, qua temeraria ac dolosa promissione ægri ad fallacem securitatem & immeritam confidentiam erga gloriosum medicum seducuntur, eo ipso autem cum gravi animæ & impensarum damno decipiuntur, vid. FREITAG. quæst. medicin. 7. Rod. a CASTRO Med. Pol. L. 3. c. 9. p. 145. ad fin. inquit: medicus prudens & gravis salutem ubique non pollicetur, nec nisi illud addiderit, sanitatem quidem affuturam Deo auxiliante, ægro v. omnia recte agente & medici præceptis obtemperant-



perante, ac servatis servandis. vid. MENERING. in Scrutin. Consc. cap. 5. qu. 18. FRITSCH. de peccatis Medicorum conclus. 7. p. 30. sq. BOHNIUS. l. c. p. 38.

§. V.

Nec minori dolo malo in damnum *agrotantium* operantur, qui morbum *mitiorem* & sua indole magis salubrem graviolem ac *incongruis* artificii *acerbiorem*, perniciosem & *longinquiore* reddunt, quo *pinguiorem* mercedem acquirant, si v. g. in tali affectu, qui *lenioribus* & temperatioribus mediis & regiminibus dirigi, tractari & curari debet & potest, *fortioribus*, generosioribus, calidioribus & *heroicis* concitatur & impellitur, ut *orgasmi*, acutæ *congestiones*, *inflammationes*, febres, spasmi, atroces dolores superveniant, atque *periculosiorem* metaschematismum forment; quam morbi conversionem & corruptionem dein tales *stelliones*, alteri *fiçitiæ* causæ adscribere non erubescunt: de hac dolosa actione ita P. ZACCH. l. c. qu. 3. n. 12. sentit: *ex medicorum vel superbia, vel avaritia fit, ut morbos leves, tutos ac salutare, graves, dubios & periculi plenos faciant; nam vel ut eorum solertia & potentia in arte magnificetur & inanem gloriam ap. homines consequantur, vel ut largius ab ipsis agrotantibus, de morte timidis, remunerentur, hoc facere consueverunt, sed in utroque casu homines malitiose decipiunt. Censuram porro merentur, qui novas, dubias & incertas opiniones excogitant, aliis pro veris, ingeniosis atque exquisite doctis garrula & gestulatoria loquacitate prædicant, iisque pertinaciter inhærent, ut & frivole illas ad praxin applicent, subinde in gravissimum agrorum damnum magnos errores committunt, aut illas in usu practico*

Etico deferunt, & ad empirica experimenta confugiunt, eo ipso autem credulas mentes temere & dolose decipiunt, tales non modo impudenter errant, teste ZACCHIA loc. c. qu. 7. n. 2. ubi tales impudentes, audaces, interdum juniores, blaterones & novatores valde reprehendit, quando ob ejusmodi opiniones alia salutaria, dogmata magisque probata auxilia contemnunt, quando ob propriam quandam hæresin ea cum maximo ægrorum præjudicio præmittunt, absurdis quibusdam & insulsis rationibus inbærentes, quæ ne dignæ quidem sunt, ut in medium proferantur. Sed & ægros æque ac alios fraudulentè decipiunt, quos mira tali loquacitate velut ad stuporem de fucata tali eruditione & peritia seducunt: talem fraudulentam, speciosam ac gloriosam dicacitatem HIPPOCRATES in L. de decenti ornatu valde improbat, & honestis ac peritis medicis breviloquentiam commendat, quoniam judicante BOHNIO loc. cit. p. 82-84. talis garrulitas circulatoribus aliisque hujus farinae hominibus magis digna est. vid. REJES. l. c. qu. 7. n. 9. Et quid de Medicis Astrologis sentiam? haud quidem nego, sed firmiter judico, quod sanitas hominis valde cum aëris qualitate & varietate consentiat, cujus temperies & intemperies multum ad adjuvandam & alterandam illam valet, siquidem cardinales aëris qualitates & diversi harum gradus, aut multiplices mutationes evidentem & eminentem efficaciam in æconomiam vitæ & sanitatis habent, nec desunt rationes & exempla, quid siderum principaliorum influxus in atmosphæram & mediante hac in corpora sanorum & ægrotorum, ad morbos alligandos, exacerbandos, & leniendos ac mitigandos conferre possunt; aut hujus judiciousæ conciliationis perversus

usus decipit utique & ægros & sanos: de quibus BOH-
 NIUS l. c. p. 84. dicit, quod ad *classem* nugatorum spectent,
 qui *astrologia* peculiarem peritiam venditant, *quanta ra-*
tio sit habenda astrorum, horumque phænomenorum in re-
mediis administrandis, stentoria voce clamitantes: de qua-
libus nihilominus jurarem, eos nec circulum in sphaera, nec
asterisimum in globo nosse & vix ex rusticorum Calendariis
sapere: tales sunt, qui ad commenta, in hoc negotio com-
missa, Paracelsi, morborum & remediorum vires ad astra
dimetiuntur. conf. Rod. a CASTRO Med. Polit. Lib. 2. c. 2.
p. 64. Casp. BRAVO de dogm. Med. præst. Sect. 4. resol. XI.
p. 161. sq. REJES. Camp. Elyf. qu. 75. n. 14. 32. Stellionatus
etiam titulum merentur illi, qui alicui ægrotante tristitia &
fatalia prænunciant, quæ tamen veritati repugnant, sub
quo fallaci & doloso præfagio leviolem talem morbum cu-
rantes majorem mercedem & remunerationem annotant,
postulant & expectant, ni æger ex metu & angore per-
culsus, moriatur & hæredes ac posteri ad pinguiorem solu-
tionem austere & impudenter adigantur; hoc facto autem
iniqua argentaria coactione alios fraudulentè emungunt:
tales utique & æquitatem & honestatem violant. Idem ju-
dicandum est, de Mendaciis nocivis, quibus ægri non de-
cupiendi & inducendi sunt, qui teste Rod. a CASTRO l. c.
L. 3. c. 9. p. 142. suapte natura suspiciosi sunt, & formidolosi,
accuratissime non solum verba & ratiocinationes, sed gestus
& nutus medicorum observant, a cunctis, quæ vel ex cultu
medici colligunt, sibi metuentes: hinc in Medicina politica
& morali, quæstio proponitur & deciditur: an ægrum sit-
nitatis causa fallere & decipere liceat, vid. REJES. Camp.
Elyf.

Elyf. juc. qu. 12. n. 2. BOHN. l. c. p. 88. BRAVO loc. c. Sect. V. resol. 10. p. 158.

§. VI.

Nulla etiam excusatione digni, sed *Stellionatus* criminis accusandi sunt, qui frivole, malitiose & dolose in *damnum* ægrotorum, sui vero nefarium *lucrum* morbum *protrahunt*, insuper *ordinem*, *typum*, *progressum* & *statum* morbi *turbant*, *vires* ægri dilapidant, *impensus* accumulunt, *tempus* protrahunt, *entia* varia præter *necessitatem* multiplicunt, *opportunitatem* operandi negligunt, *diversa* nova symptomata ac mutationes accersunt; indeque ægrotanti multiplicia *inconmoda* & *detrimenta* causantur: quam perniciosam *protractionem* omnes periti, prudentes, *conscientiosi* & *honesti* medici valde improbant: de quo crimine ita judicat ZACCHIAS *Q. M. L. L. 5. tit. 1. qu. 6. n. 10. Si medicus morbum protrahit, remedia salutaria adhibere negligit aut tarde adhibet, tunc non solum peccat mortaliter, sed tenetur etiam ad restitutionem mercedis & est Fur manifestus: CARRAR. de Medic. P. 2. n. 70. & ex Medicis Codronchius de Christ. med. rat. L. 1. c. 10. Hoc autem est maximum malorum medicorum erratum, ex clamata avaritia originem ducens, quod tamen in bonum medicum cadere nequaquam potest, sed neque malos medicos, licet id machinentur, nempe morbos protrahere perficere posse, abunde demonstrant, JOUBERTUS Error. pop. L. 1. c. 3. MERCUR. Lib. 2. error. pop. c. 27. conf. de hoc Crimine, Zac. LUSIT. in introitu ad Praxin præc. 25. FRITSCH. de peccat. Medic. Concl. 14. p. 10. Quales fraudes porro cum *Uroscopia* & *Uromantia* creberrime committantur, jam abunde constat; ideo multi jam medici *fallucias* & *deceptiones*,*

piones, quæ malo hujus inspectionis & præfagii usu, per-
 perrantur, indicauerant & taxaverant, ex quibus paucos
 saltim allegare lubet: videlicet *Rod. a CASTRO l.c. Lib. 3.*
c. 10. u. THONERUM Ep. Med. 21. p. 341. GÜLDENKLEE Ep.
Medicin. L. 6. resp. 22. EURICIUM Cordum de abusu Uro-
scopie. Job. FREITAG de abusu Medicinæ. REJES. Camp.
Elyf. qu. 10. n. 6. & 49. FUCHSIUM instit. med. L. 4. Sect. 3.
c. 1. LANGIUM L. 1. ep. 41. HILDANUM Cent. 6. obs. 20. PRI-
MEROSIUM de Err. vulg. in Med. L. 2. c. 1. BARTHOLINUM
de Paralyt. N. 3. bist. 2. p. 33. FORESTUM Lib. 2. obs. c. 5. de
incert. ac fallac. urin. judicio. BOHNIUM l.c. p. 52. multos-
 que alios hujus sententiæ testes nominare possem, quos
 brevitatis causa non indicare placet; quicumque igitur
 cum hac uromantia fraudulentum quæstum quærunt, fu-
 cum faciunt ægrosque fallunt, illi merito sodalities Stellio-
 num adscribendi sunt. Quicumque ægros superstitiosos
 mediis obnubilant, quo verba, imprecationes, characteres,
 sigilla, varia amuleta, annuli magici &c. pertinent, ægros
 ve inde argento emungunt, hujusque fraudis ignaros ab
 aliis salutaribus auxiliis deducunt, subinde vero quoad a-
 nimum & corpus eos corrumpunt, illi toti ex fraude &
 fallacia constant, quos in magno debito versari judicat
 ZACCHIAS l.c. qu. 7. n. 23. ubi multa aliorum medicorum
 suffragia collegit, vid. FRITSCH. l.c. concl. 8. p. 33. REJES.
 qu. 23. n. 13. qu. 97. n. 7. ab HEER obs. 7. RIEDLINUS Cur.
 med. 482. Lin. Med. An. 1. p. 158. ut plurimum itaque illi,
 qui superstitiosis curare non verentur, impostores sunt.
 Nec prætereundi illi sunt, qui prius multa promittunt,
 quæ præstare nequeunt, & denique ægrum fraudulenter
 deserunt, imprimis si morbus in periculosiorem statum con-
 jectus,

jectus, quem talis gloriosus nugator vel audacia, vel negli-
 gentia, vel invidia, vel nimia confidentia & securitate
 in graviolem & *deteriorem* statum progredi permittit:
 hujus *dolose* desertionis variae indicari possent causae, qua-
 rum praecipuae sunt, si tales medici morbum quendam *de-*
pravaverunt, vel si *ignorant* *ulteriori* & meliori auxilio ei-
 dem subvenire, vel si quos *tadium* cepit, *diuturno* cuidam
 morbo auxiliari, vel quando omnem operam *perdidisse*
 autumant, vel quod res, ut *multae operae* & laboris, vel
 quod *vile premium* pro mercede expectent, es werde ih-
 nen die Mühe nicht belohnt, inde autem miser aeger in
gravius vitae suae *dammum* & periculum incidit, quam *fraudem*
 & perfidiam omnes *bonesti* medici reprehendunt,
conf. FRITSCH. l. cit. concl. XI. p. 42. sic porro ad *Stellio-*
natum referri potest, si quidam, *theatralium* medicastro-
 rum aut circumforaneorum more, *vestitu* haud modesto,
 sed *fastuoso*, ac splendido *credulam* & imperitam ple-
 bem caecant, eoque ipso malum dolum committunt, de
 quibus *Zac. LUSIT. intr. ad Praxin praec. 2.* exclamat,
 quod talia immania Reip. monstra per plateas & fora ma-
 gna arrogantia incedant, pomposa veste induta, siquidem
 sumptuosae vestes & annuli deceptorii, non agris profunt,
 sed medicis personatis, qui his versutiis instructi, a rudi in-
 ceptaque plebecula nummos exhauriunt, loculos corradiunt,
 divitias emungunt, de talibus & non de meritis, dignis &
 honestis medicis valet illud, *vir bene vestitus, pro vestibus*
esse peritus - - - *creditur a mille, quamvis idiota sit ille.*
conf. BOHNIVS. l. c. p. 29.

§. VII.

Magnam etiam *consuram* merentur illi sibi sapientes
 D heroes,

heroes, qui in aliorum ægrotantium, periculose decum-
 bentium, statu, soli gloriam reportare gestiunt, & omni-
 potentem quasi peritiam practicam affectant, ideoque a-
 liorum consultationes varia simulatione, imo plane dolo
 denegant & avertunt, quippe soli huic periculo satisfacere,
 sufficere & obviam ire sibi aliisque persuadere solent,
 interea omni studio præcavent, ne alius in quadam fami-
 lia & aula majorem fidem & fiduciam acquirat: quos in-
 terea clandestina ambitio, invidia, avaritia, philantia &
 philargyria sub larva æquitatis & probitatis, aut alterius
 cujusvis dolosi prætextus gubernat, quoniam autem ejus-
 modi mali corvi in malo dolo versantur, ideo Stellionum
 societati annumerandi sunt, quoniam ægros decipiunt,
 quo minus aliorum proborum & peritorum virorum consi-
 lillis uti queant, & quia suam famam, & stupendam quasi
 peritiam & lucri cupidinem satiare contendunt, de quibus
 ZACCHIAS *Med. Leg. Qu. Lib. 6. tit. 1. qu. 3. n. 10.* differit:
Sed ex medicis Sylvaticum de Med. cap. 13. voluisse Medi-
cum mortaliter peccare, quodcumque odio aut invidia do-
ctiorem socium in curam non admittit - - magis accusan-
di, qui bonos ac doctos, invidia aut odio respuunt &c.
 pertinet huc justus & seriosus elenchus *Rod. a CASTRO*
lib. cit. L. 3. c. 20. p. 182. certe plerique sunt ambitiosi & a-
 vari, qui malunt, ut æger pereat, in ipsorum manibus,
 quam ut altero accersito liberetur; vel quia, ut dici solet,
 canis non amat socium in culinâ, vel quia, quicquid ipsi
 non fecerint, solent arguere, & omnia vituperare, quæ
 ignorant, nec quippiam rectum putant, quod ipsi non fece-
 rint, aut facere norint; adeo semper sui sunt capitis, ut
 sint inimici consilio etiam juniori, quod non ipsi dederint:

sed

sed stulto homini placet, qui sibi placet: conf. pl. p. 180. annuit huic iudicio Zac. LUSIT. introitu ad Praxin præcepto 20. tit. medicus amet consultationes: qui alios non vult convocare ad consilium, is vult solus esse in præsepe equus, quare a domo & curatione explodendus; quoniam cognitio & curatio morborum, res sunt difficiles; quare oportet ut earum veritas ex meritorum voto eluceat, conf. BOHNIUS lib. all. c. 5. p. 109. sq. 113. 115. sq. FREITAG. noct. med. c. 15. FRITSCH. l. c. concl. 15. p. 52. REJES. Camp. Elyf. qu. 16. n. 12. Malitiose pariter & dolose illi agunt, qui alium virum bonum ac peritum denigrant & diffamant apud alios cavillant, conviciis afficiunt, apud ægros imprimis diffidentiam erga ipsum causantur, eos qui ejus consilio & ope uti malunt, dehortantur, alterius dicta & facta iniqua censura taxant, contra ipsum variis fraudulentis machinationibus conspirant, ejus bonam famam malevole lædunt, suumque proprium commodum, existimationem lucrum & elogium erigunt: tales malæ indolis medici & ægros decipiunt, dum sinistram opinionem de aliis viris bonis illis infusurrant, deinde dolosam invidiam exercent, vid. FREITAG. loc. cit. BOHNIUS loc. cit. cap. 4. p. 49. 50. FRITSCH. loc. cit. concl. 17. & 18. Non minus etiam illi æquitatem lædunt & fraudem committunt, qui præter necessitatem remediorum præscriptionem multiplicant, quo de laboribus & schedulis suis speciosam magis & pretiosam rationem ducere, quæstum suum dolose augere, misero vero ægro majores sumtus inducere possint atque soleant; quo justa applicatione MASSARIÆ EXLVIO effatui c. de cholera referri potest: optimos imperatores ac doctissimos medicos sæpe numero nihil agendo plurimum



proficere; illos de hostibus, hos de morbis insignes victorias reportare. Sic illi etiam Stellionatum committere possunt, qui contra voluntatem, nutum, beneplacitum & necessitatem nimis frequenter ægrum visitant, ut officia sua extollere, accessus suos in majorem numerum & calculum ducere, ideoque pretiosius sostrum perere queant, quos ea ratione BOTALLUS lib. de medici & ægri munere damnat, ne videantur pecuniam exigere, significare enim ait aut inscitiam, aut extorquendi æris cupiditatem: quo addit REJES. qu. 19. n. 12. hæc ab optimo medico debent esse aliena & avaris ac imperitis tantum relinquenda: multo minus medicus alicui ægro se obrudere debet: vid. ROD. a CASTR. loc. cit. Lib. 3. c. 14. qui enim tali garrulitate bona sua officia multa cum promissione offerunt, illi non solum a consiliis explodendi sunt, teste ZACUT. LUSITAN. in Med. Princ. Histor. L. 1. hist. 64. in comm. sed sua adulatione ægros occidunt, juxta PECHLINUM Pent. 4. obs. 40. aut humanissime & officiosissime occidunt, dicente WERLOS. NICH. in cur. vern. p. 81.

§. VIII.

Stellionum choro etiam annumerandi sunt, qui scienter & consulto corrupta, inefficacia & effæta pharmaca aut ipsi offerunt, aut e pharmacopoliis, male instructis, dolose præscribunt, hocque modo res suas perditas pro utilibus annumerant, ut inexplabilem suam avaritiam fatient, & favorem pharmacopole præbeant, unaque manus alteram laver: inde vero afflicto ægro nec auxilium fertur, nec malum minuitur, sed facile augetur, subinde majores impensæ & sub hoc dolo damna graviora causantur; quem errorem pro majori delicto habet ZACCHIAS loc. cit. L. 6.

Lib. 6. tit. 1. quæst. 7. num. 26., quo *punibilior dolus est, quam negligentia & ignorantia*: ejusdem qualitatis *dolus* ausus est, si quis *alterius probata secreta remedia temeraria* ac *frivola imitatione* conficit, quæ tamen *minus secura & utilia* sunt, licet *fraudulenter alterius nomen & titulus genuinus* ipsis datus sit; qui *perfidiose, scelerose & nequitiose* more *crumenicidarum* in *commendationem* *furtivorum & fraudulentorum medicamentorum, aliorum sigilla imprimere & schedis spuriiis typis exprimere* curant, quæ per *errones* quaquaversum *vagabunde circumferre* faciunt; qualia *fallacia* remedia *extrinsecus ambizioso & superstitioso* nomine *luxuriant, intrinsecus vero sterilia & inutilia* sunt, & ita *dolo malo* venduntur; *creduli vero homines* crasse *decipiuntur*: quales *magni veteratores* *exilio digni* sunt. Huic *classi* accedunt non *nulli machinatores & experimentatores*, qui *mirabilia & arcana naturæ & celsioris alchymie* invenisse & *cognoscere* gloriantur, proinde *prodigiosa mysteria, & arcana* possidere *arroganter & fallaciter* nugantur, suisque *præparatis ampullosos & prodigiosos titulos & characteres* tribuunt, hoc *autem dolo*, eos qui *facile credunt, facile decipiunt & argento emungunt*: hi tales sunt, qui *privatis suis medicamentis splendida nomina & elogia* imponunt, (quæ *nunquam & nullibi probata* sunt,) ut *emptor cupidus* eo magis *incendatur & insaniat*, *vid. MENOCHIUS de arbitr. judic. qu. cas. 381. n. 23. 24.* Non minus *dolose* illi agunt, qui in *damnum ægrotorum* cum *pharmacopolis* *fraudentem collusionem* ineunt, dum vel *plura*, quam *necessitas* postulat, *medicamenta præscribunt, idæoque majores sumtus* causantur, vel in *commodum & lu-*

crum officinae pharmaceuticae pretiosa in certis morbis
 nec congrua, nec necessaria ordinant medicamina, vel in
 eo conspirant & connivent, ut pharmaceuta formulas suas
 praescriptas majori adscribat pretio, & ex pacto clande-
 stinae collusionis alia commoda & officia expectet & acci-
 piat, quae consideratio dein in fraudem ac dolosam agro-
 rum deceptionem cedit, inter se autem culpabilem fini-
 gunt fallaciam: quem dolum iterum merito reprehendunt
 BOHNIVS l.c. cap. 5. a & FRITSCH. l. c. concl. 23. p.
 73. RIVINUS in Censura pharmac. Vicissim illi medici
 inique & dolose operantur, qui talia medicamina illicite,
 privata sua dispensatione distribuunt & venditant, quae
 rectius officinis pharmaceuticis praeparanda & vendenda
 comperunt, inde eximium damnum, praerudicium ac rui-
 na honestis officinis accidit, quae tamen in quadam repu-
 blica in justo & honesto suo statu & flore conservari &
 promoveri debent, quia in illius emolumentum & orna-
 mentum cedunt; hinc nullus aequus vir, sub specie recti
 illa commoda ad se rapere debet, quae magis bonis &
 inculpatis officinis relinquenda sunt. vid. FRITSCH. l. c.
 concl. 24. p. 75. Nec illi a Stellionatu alieni sunt, qui a-
 gro cito placere volunt, & subitam confidentiam acquire-
 re malunt, quando loco curationis e fundamento, saltim
 palliative symptomata & praecipue dolores tollere & fa-
 migeratis sedativis extinguere nituntur, cum tamen sci-
 ant, tali modo praesentem affectum non legitime & radi-
 citus curari, hocque modo iterum dolose cum aegro pro-
 cedere, & officio suo aburi: hinc sinistros rerum succes-
 sus denuo eadem fallacia longe aliis causis adscribere sci-
 unt. Huc referri possunt illi, qui gloriosa jaectantia Pa-
 naceas

necesse se possidere, per specifica, quæ cognoscere perhibent, per sympathetica, magnetica, archealia, mumialia & hujus furfuris alia commenta omnes morbos se tollere posse, sesquipedalibus garrunt verbis, simulque audacter promittunt, quasi non necesse sit interna assumere remedia: quæ persuasio credulis & delicatulis valde grata & accepta est mentibus, quæ alioquin medicamento- rum usum & gustum valde averfantur, ideoque communiter topica desiderant adminicula; quo facilius inclinant ingenia, quæ superstitionibus facile annuunt. conf. FRITSCH. l. c. concl. 20. p. 66.

§. IX.

Nec illi prætereundi sunt, qui ægrum quendam divitiis abundare cognoscunt, ideoque nimio lucro, aut usura studiosi sunt, & per varios circulos, lineas curvas & fraudulentas technas sua officia magis speciosa, pretiosa, laboriosa & ardua reddunt, quæ tamen leviori opera & breviori via ac mora perfici potuerant, iterumque dolose proximum suum ægrotantem illudunt, decipiunt ac emulgent, ut sub specie recti, justi & meriti majorem questum acquirant, nec non ab opulentiori ægro liberam sosti augmentationem honesto modo expectent, quare FRITSCH. l. c. concl. X. p. 39. asserit: quodsi patiens sostri medico neget, per ingratitude eum peccare, dubium non est. Peccat autem ipse medicus, si ex pacto majorem extorqueat mercedem, quam par est. Cum hac censura convenit hæc quæstio an medicum deceat, de mercede curationis suæ pacisci? in qua decidenda quidam in subsidium avaritiæ suæ, ut ROD. ACASTRO l. c. c. 21. p. 187. inquit: trahunt Hippocratis in Præceptionibus concessionem & autho-

auctoritatem: nec libertas paciscendi modo *honesto ac
 justo*, medico denegari potest, si præcipue ipsi ab ægro-
 tante *tale pactum* ineundum & erigendum *offertur*: *conf.*
 LINDEN *Select. med. II. ff. 30-32. de nundinatione medica.*
 nihilo tamen secius in hoc proposito crassus *Stellionatus*
 committi potest, si morbum *graviolem & periculoso-*
rem prædicant, aut attollunt, ideoque labores, sollici-
 tudines ac *officia sua operosiora, difficiliora & longiora*
 prænunciant, quam *reapse* sunt, hinc *pretia rerum & cir-*
cumstantiarum augent, malitiose & *dolose* existimantes,
 quod ægrum *in sacco* contineant, qui enixe sanitatem
 cupiens, *pingui sacrificio* eam nunc redimere debet, hinc
immeritam magnam & ponderosam mercedem mox *primo*
suo accessu postulant, ejusque *dimidiam* partem ab
initio, alteram *dimidiam* in *medio morbi* impudenter *ex-*
torquent, eandemque mercedem tenacissime servant, sive
bene, sive *corrupte*, sive *pestime* curatus fuerit æger, sive
convalescit, s. *mortuus* sit: qui igitur statim *prima sua*
visitatione *quæstuose* cum *Juda Iscariote* interrogant, *quid*
vultis mihi dare, illi valde *suspectos* se reddunt, imprimis
 quando *infallibilem* curam promittunt, quæ interdum
 haud speranda, aut nonnunquam *cæco* ausu *media, vix*
probata, propinant, quæ sanationem *fortuitam* post se re-
 linquant, ad exemplum illius *Stellionis*, qui de merce-
 de cum ægro *pactionem* fecit, & ad *tympaniten arave-*
um *inseste & audacter* ordinavit, cujus *MUFFETI in theatr.*
Insect. L. 2. c. 15. mentionem facit: ideo *HIPPOC. Lib. de*
præcept. monuit, ut *medicus* in accipienda mercede omnem
acerbitatem deponat, & *quandoque etiam gratis* curet:
 inter alia *ROD. a CASTRO l. c. L. 3. c. 21. p. 189.* ab *init.* ait:

si

si sanitati restitutus est patiens, & dat beneficium, accipiat medicus, si nil dat, non magni refert, certe nec exigat, nec in iudicium vocet. conf. P. ZACCHIAS l. c. L. 6. tit. 1. qu. 3. n. 2. & 15. qui prudenter iudicat, quod ante curationem medicus mercedem exigere haud debeat: ratio dubitandi est, quia merces jam respicit factum laborem: non videtur ergo deberi nisi post curationem, idem argumentum tit. medicus an faciat honeste si mercedem exigat? tractat. REJES. Camp. Elyf. iuc. qu. 19. de hac quaestione sic sentit ZAC. LUSIT. introd. ad Praxin praeccepto V. in hac nobili arte, ignobile & indignum medico est, imo impium & execrabile de mercede deliberare: iudicium quippe certissimum, quod solum ad lucrum, & non ad sanitatem aegri collinet scopum, & sic avaritiae notam incurret: vid. WERLOSCHNIG. de cur. vern. autumn. p. 528. sq. iusta igitur cognitio est, quam tradit FRITSCHIUS concl. X. p. 39. fidei medico debetur Soffrum, sive ab aegroto promissum fuerit, sive non: sive is morbum curaverit, sive non: neque enim semper in medico est, allevetur ut aeger: sufficit si juxta artem medicam medicus suum impleverit officium. Praeter haec autem honestus, aequus & prudens medicus haud privato suo compendio fervire, nec dolose, quando majorem non demeruit mercedem, aegrorum crumenas evacuare debet, imprimis si officio suo haud tanta dignus est mercede; qui enim tali etiam dolo in aegrotum peccat, is proditorie agit, cum proditorie agere sit unum actibus ostendere, & aliud in mente gerere, ita sentiente ZACCH. loc. cit. L. 6. tit. 1. qu. 2. n. 3. qualis dissimulatio in hoc pacto pariter occurrere potest.

E

§. X.

§. X.

In quam etiam classem redigamus medicos, qui *probat*, honesti & periti videri gestiunt, & tamen *gulosos*, *beluones*, parasiti sunt, qui omnes fere trullas & ampullas exantlant, communes autem ac frequentes *ebrias* & *confusas* mentis perturbationes occultare volunt, sub hoc vero statu haud verentur nec erubescunt, ægris, interdum *periculose* decumbentibus, consilia *turbulenta* dare & auxilia *ambigua* ordinare: *periculosus* enim & *temerarius* ausus est, sub tali *rationis impotentia* & *perveritate* vitæ ac sanitati congrua suppeditare velle adminicula, quæ *minus fida* ac *secura* sunt, ac si *delirans* remedia *sapientie* præscribere molitur: etsi talis porator sub *furca sobrietatis* larva ægrotantibus cura sua medica subvenire audeat, *imposturam* committit præter vitiosam *audaciam*, unde facile valde perniciosi effectus extimescendi sunt: sub tali igitur facto aut manifestus, aut clandestinus *dolus* latet, quo afflictus patiens sub *specie artis* rationalis & probatæ magno *periculo* atque *damno* decipitur, quod vitium sub concursu indicatarum circumstantiarum & qualitatum utique *Stellionatum* format: & si *ebriosus* ab officio *excludendus* est, juxta ZACCHIAM l. c. L. 2. tit. 1. qu. XI. n. 48. jure meritoque istiusmodi periculoso Medico munus curationis *prohiberi* debet, ne *impune* occidat, & loco salutiferi artificii *audacem* homicidam se gerat: conf. FREITAG Noct. medic. c. 2. FRITSCH. l. c. concl. 6. p. 29. GALENUS L. 1. meth. c. 1. & Lib. de præcogn. ad Posthum. SEPTALIUS L. 1. caution. Georg. HENRICUS de perfecto medico c. 6. ZAC. LUS. Med. Princ. hist. 6. Lib. 1. in comm. Sic illi medici *Stellionatus* crimen

com.

committunt, qui *contra* ægrotantem, *periculoso* morbo de-
 cumbentem & *morti proximum*, cum *heredibus* colludunt,
 morbi *statum curabilem* judicant, ægrum *securum* reddunt,
 ne in *præjudicium* & *damnum* eorum, quibus mors ejus
lucrum est, testamentum erigat ac nuncupet, sed *ab in-*
testato decedat, ideoque ægrum de morte *proximiori*
 non monent, sed ab aliis *corrupti* omnem *salutarem* ope-
 ram *dolosa dissimulatione* promittunt: illi *crasso* ac *malit-*
tioso dolo *miserum moribundum* decipiunt. Huc illi et-
 iam pertinent qui in *domo quadam*, aut aliquo loco *gras-*
santem & *valde perniciosum* morbum cognoscunt, *ast sui*
commodi studiosi ob *certas fraudulentas* causas, vel *donis*
corrupti, *periculum* non indicant, ne ejusmodi locis *fama*
infectionis inuratur; hi dum *impediunt*, ne *tempestivum*
auxilium ad *majus* idque *publicum* periculum averten-
 dum, *ordinetur*, *malitiose* & *dolose* agunt, *causamque*
 dant, ut *gravius* inde oriatur *damnum*. *conf. CODRON-*
CHUS de Christian. medic. ration. L. 1. c. 38. BOHN. l. c. c. 4.
pag. 93. Si ægrotans, Medici *cujusdam fidei*, *dexteritati*
 & *sinceritati* se commisit, *variaque* de *corporis sui indi-*
viduali constitutione, de *valetudinis suæ speciali* qualita-
 te, de *famæ*, *officii*, *voluntatis* &c. *suæ ratione singula-*
ria ac *secreta* sub sigillo *confessionis* & *strictioris silentii*
 aut *reticentiæ* aperit; *garrulus* vero *medicus* non ex *le-*
vitæ animi, sed *malo dolo* in *grave* *damnum* ægri, *illa*
effudit & *deblaterat*, unde *hujus fama* *imprimis* læditur,
 ipse etiam *animo* *valde affligitur*, ut *sanitas* ejus ac *con-*
valescentiæ *admodum* *impediatur*, tunc *Medicus* *talis hoc*
facto *Stellionatus* *crimen* committit: quare a *medico pro-*
bo, *prudenti* & *honesto* *taciturnitas* *desideratur*, & *lo-*
 E 2 quaci.

quacitas valde improbat: *vid. BOHNIUS l. c. p. 92. ROD. a CASTRO loc. cit. L. 3. c. 3. p. 123. REJES. Camp. Elyf. qu. 7. n. 15.*

§. XI.

Haud etiam eorum Medicorum factum probari potest, qui *beneficiis*, promissionibus, pecunia &c. *occæcati* & *corrupti* in aliorum lucrum & commodum, aliorum vicissim *præjudicium* ac *damnum incurabili* quodam morbo decumbentis mortem aut *retardant*, aut *accelerant*, quo in variis casibus *dolosa* medicorum actio allici potest, quæ vero utique ad *Stellionatum* referri debet, qua partim *ægrotautes*, partim *alii* decipiuntur. Non minus etiam *illi* crimen *falsi* & *Stellionatus* committunt, qui *mendaci testimonio* *incarcerati* cujusdam rei hominis *simulatum morbum*, imbecillitatem, dolores, vitiosum corporis statum, proclivitatem ad graves, fonticos & periculosos affectus, velut convulsiones, repentinos & pertinaces spasmos, animi deliquia, insultus epilepticos, apoplecticos, eruptiones lethiferas sanguinis &c. confirmant, eumque ad *liberationem, fugam, absolutionem* promovere, aut e *duris* carceribus, vinculis &c. *liberum*, aut contra gravem sententiam *torturæ, pænæ corporis ordinariæ* &c. defendere & salvare *dolosa* tali inventione nituntur. Accedit porro quando medici destinato consilio & arbitrio *præcætos errores doloso* respectu commiserant, quales in *abortus* procuratione occurrere possunt, quando *præsumtum morbum profligare* contenderant, deinceps autem, *dolosa* eorum actio manifesta & *culposa* evadat, *errores* suos *confiteri* pertinaciter *abnegant*, iterumque actionem *erroneam justificare non erubescunt*: hi non solum in tali

&

& alio casu graviter peccant; sed & pro circumstantiarum concurrentium qualitate Strellionatum perpetrant. *conf. P. ZACCHIAS l.c. E. 6. tit. 1. qu. 3. n. XI. BOHNIUS l.c. p. 96. 97. Zac. LUSIT. in M. P. H. L. 1. hist. 79. & introit. ad Prax. præc. 9. & 10. LENTILIUS in Eteodr. Pr. præfat. pag. 4. 5.* Ejusmodi *dolosæ* machinationibus adh. adscribo, si quidam ad Praxin *numerofam* adspirare contendunt, & *muliecularum* favorem, commendationem & blanditias sibi comparare variis *fraudentis* technis & inventionibus magno laborant studio, *obstetrices donis* & numis corrumpunt ac *matronarum benevolentiam* acquirunt, hocque modo imperitiam & famam suam cum ægrorum aliorumque damno probare & concèlebrare non verentur, *vid. BOHNIUS loc. c. p. 51.* Sed ne *augia stabulum* uno labore repurgare suscipiam, placuit saltem hac occasione nonnulla *Medici Strellionatus* Specimina allegare & *pro merito* denigrare, probe gnarus, quod in foro medico varia alia occurrant; recte v. sentit peculiari, observatione RIEDLINUS *Lin. Med. An. 5. Aug. obs. 21. p. 858.* quod *medicus genuinus* & honestus *fraudibus illicitis opus non habeat*, quales aliæ nominantur e FREUDENBERG *de impostura medicantium*, CARRARIO *de Medico ejusque erga agrum officio*, AYALA *de medicorum imposturis*, FONSECA *in Comment. in Hipp.* MIRANDA *de Perfectione boni medici.* Perducta autem hac tractatione ad propositam metam, ne nimium crabrones irriterem, DEO devotas ago gratias, quod in hac confessione & commendatione veritatis mihi animum & vires concedere voluerit, quem supplex rogo, ut sacram hanc artem medicam ab omnibus mendis, erroribus & fraudibus repurget, quo ejus

gloria amplificetur, proximi salus promoveatur, artis
Medicæ fama ac integritas defendatur & adjuverur atque
ita multiplex probus, justus, honestus & salu-
raris obtineatur

F I N I S.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

SALUTEM ET PROSPERITATEM
PRECATUR

MEDICÆ FACULTATIS SENIOR

ET H. T. DECANUS.

Non arduum, sed congruum de bono Me-
dico MORGAGNIUS in nova *Institutio-
num Medicarum Idea* requisitum postulat,
non satis esse egrotantium lectulis assidere, sed posse-
ritati studio, exemplo & fama inservire: quo illud
officium pertinet, quod Anglus ille Medicus HA-
MILTON in *Regulis Praxeos Medicæ*, urget, quod
ipsi haud arrideat in excogitandis *Speculationibus* oc-
cupari, & modo principia Aristotelica, modo anato-
mica, modo chymica, modo mathematica & mechani-
ca

ca sua structuræ hypotheticæ fundamentum adoptare, sed præter alia innocentiam, integritatem & suavitatem morum exercere, quæ notæ etiam characteristicæ sunt, quibus verus Medicus ab Empiricorum turba distinguitur. Etenim talem Medicum non solum vera, perspicua & sobria Scientia, ut & solida ac secunda peritia, sed etiam in toto suo munere prudentia, dexteritas, conscientia & sinceritas probant, ne histrionum more garrula ac nugaci lingua, nec non vestitu pomposo & variegato innocentes & honestas mentes decipiat, ideoque agyrtam rectius, quam virum bonum, cui in arte credendum, se gerat; qualem LUCIANUS in extrem. caro. Menipp. describit: ubi venerandum virtutis medicæ nomen induerint, tunc adductis in altum superciliis, fucato habitu obambulare, detestandos mores secum circumferentes, simillimos nimirum tragediarum histrionibus, quibus si personas stolamque illam auro sparsam detraxeris, quod superest, id ridiculum &c. nempe homunculus, septem denariis ad ventorum mercaturam & agonem conductus: qua de causa multi honesti & prudentes Medici ad exemplum HIPPOCRATIS, utpote FONSECA, JOUBERTUS, MIRANDA, RHASES, BARDUS, multique alii, Medicorum virtutes & perfectiones commendarunt: hinc Medicum etiam æquitas, conscientia & prudentia ornant & illustrant. Hoc selectum argumentum dignum iudicasti præsentem Specimine Inaugurali disertius commendare. Postquam enim TU, NOBILISSIME CANDIDATE Cursum Academicum pluribus annis laudabili solertia

3436

tia ad felicem metam perfecisti, inque nostra æque ac
alia in clyta altiorum Musarum sede Medicum studium
feliciter tractasti, consultum tibi visum est, ut exer-
citiū artis salutaris divina adspirante directione ag-
grediaris; ad quem finem honesta petitione Acade-
micos honores prosecutus es, quibus rite & more
solito aquirendis Facultati Medicæ Scrutinio con-
sueto tam in Scientia, quam Experientia profectus
exquisitos, egregios ac honoribus & privilegiis Do-
ctoralibus digne condecorandos atque instruendos
plene probasti, ut non solum hoc solemnī Specimi-
ne tē singulis commendare, sed & approbationem
nostram excipere possis. Faxit cœlestis benedictio,
ut sub perenni mentis corporisve integritate, in fu-
turo munere artificioso medico maxime exoptatos
& saluberrimos successus, fructus & eventus acqui-
ras & ita Deo atque proximo conscientiose, sincere,
dextre, assidue & provide inservias. Vale. Dab.
e Musæo d. X. Pridiæ Iduum Septembr. A. O. R.

CIDICCCXLVII.



Halle, Diss., 1746/47


ULB Halle 3
002 729 377



58







Sbt. Cr. 10. n. 576. 76 1747/10

ECIMEN INAUGURALE MEDICO-POLITICUM,
DE

PRIMINE STELLIO- NATUS MEDICI,

at verstellten und versteckten Betrüglichkeiten
in der Medicin;

Quam.
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratosæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
MODERATORE
D. MICHAELE ALBERTI,
R. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.
P. LT. MEDICÆ SENIORE, DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,
PRO GRADU DOCTORIS
SISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
ANNO MDCCXLVII. D. XI. SEPT.
Publicæ Disquisitioni subjiçiet
JOHANNES ANDREAS BODENBURG,
HETTSTADIO-MANSFELDENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.